



Kansalliskirjasto - Nationalbiblioteket

UNIV. BIBLIOTH.
* 1867 *
HELSINGFORS

Vol. 4.

Q. F. I. E. D. T. E. J.
SPECIMEN ACADEMICUM
SISTENS,

FATA
BOTANICES
IN
FINLANDIA,

QUOD,

*Divina adfulgente Gratia,
Consentiente Ampliss. Facult. Philos. in Regia
ad auram Academia,*

PRÆSIDE

D_N. PETRO KALM,

Oeconom. PROF. Reg. & Ord. Academiæ Scient.
Holm. ac Societ. Lit. Upf. MEMBRO,

*Publicæ Philosophantium censuræ
defers*

ANDREAS COLLIN, Joh. Fil.

SATACUNDENSIS,

Ad Diem II. Octobr. Anni MDCCLVIII.

Loco horisq; ante Meridiem solitis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis
MAXIME FIDEI VIRO,
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

DN. CAROLO
FRIDERICO
MENNANDER,

S. S. Theologiæ DOCTORI CELEBERRIMO, Inclitæ
Diœc. Aboëls, EPISCOPO CONSUMMATISSIMO, Reg. i.
bid. Acad. PRO-CANCELLARIO EMINENTISSIMO,
Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI GRAVISSIMO,
Scholarum pér Diœcœsin EPHORO ADCURATISSIMO,
Regiæ Scientiarum Academie Svecanae MEMBERO
dignissimo.

MÆCENATI SUMMO,

Maximum certe est bonitatis Divinæ indicium, quod vi-
ros omnigena & solidissima scientia instruissimos sum-
mis in Republica officiis præficiat; illosque singolari
humanitate exornet, ut ad eorum gratiam, ceu asylum firmis-
simum, clientes quovis tempore confugere possint. Et sicuti
hæc animi bona in Te, Reverendissime Præful, mirum in mo-
dum elacent, ita omnes in Tui admirationem & veneratio-
nem

nem alliciunt alleciosque tenent. Des ergo veniam, Mæcenas Summe, submisse oro, quod pagellas hasce incomta & festinanti calamo elaboratas, Nomine Tuo Reverendissimo illustrare ausus fuerim. Est enim hoc haud minimum beneficium, quo numerum eorum antea in me abunde collatorum auges, imo illis veluti cumulum addis exoptatissimum. Verum enim vero doleo, eam esse clientum conditionem, ut gratiam Mæcenatum nullo possint demereri modo, nedum digno verborum adparatu prædicare. Proinde cum alia prorsus desint, quibus pietatem in TE, Reverendissime Pater, intra perfectus latentem publice testatam facerem, humillimus rogo, gratiose adspicias vultu vile hocce munusculum in piæ & venerabundæ mentis arrham oblatum, meque ulteriori tuz Be-nevolentiae contra novercantis fortunæ insultus beare haud degraveris. Sic clienti TUO commodissima datur ansa, favorem TUUM incomparabilem decantandi, votisque calidissimis omnium bonorum Remuneratorem defatigandi, ut salvus sospesque in Ecclesæ emolumentum certissimum, Reipublicæ Literariæ fulcrum firmissimum, Familiaæ TUÆ Nobilissimæ gaudium maximum, omniumque clientum TUORUM patrocinium Validissimum, quam diutissime vivas, vigeas & floreas! Permansurus ad extempm vitæ halitum

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Cliens devotissimus,

ANDREAS COLLIN Joh. fil.

S:æ R:æ M:tis.

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Generosissimo atque Nobilissimo Domino,

DN. L A U R E N T I O STIERNELDH,

Supremi, quod Aboæ est, Regis Regnique Dicasterii Consiliario Consultissimo, gravissimo, Macenati & Nutritio Propensissimo,

Lucubrations levissimas de Fatis Botanices in Finlandia publica submissurus censuræ, ingratissimus profecto essem, si occasionem favorem TUUM in me depredicandi intermitterem. Ex quo enim in Domum TUA Nobilissimam, filiorum Tuorum rare indolis & optimæ spei informandi causa me recipisti, tot tantaque gratia TUA in me extare voluisti documenta, quod quanquam a Patrono Maximo profuere possevere. Non jam loquor doctissima TUA colloquia, quibus multum profeci, nec commemoro consilia saluberrima, quibus me semper crevisti, prater reo quoque alia beneficia, longe plurima; verbo tantum dico, hanc opellam vix lucem visam fuisse publicam, nisi eidem edendo gratia TUA & calcar & robur addidisset. Idre ergo TIBI offero primitias hasce Academicas, iisque splendorem a Nominis TUO Nobilissimo mutuare cupio. Suscipias itaque, Macenas Propensissime, chartaceum horce donunt, idque patiaris gratissimi & devotissimi animi mei interpretem agere. Favit Divina Providentia, cuius nutu TE Patronum natus sum, ut in Themidis decus, Patriæ salutem, Familie TUA Nobilissima solarium omniumque clientum TUTORUM gaudium vitam transigas felicissimam, Nostream! Sic vovet & vobis que, qui semet gratia TUA in posterum totum commendat,

GENEROSISSIMI NOMINIS TUI,

cliens devotissimus,

ANDREAS COLLIN. Joh. Fil.

Rongt. Maijts.

Ero Män och Majorer vid Biörneborgs Infanterie Regemente;

de Wålborne Herrar /

Herr HANS HENDRIC BOIJE, Så van Herr FRANTZ HEND. von KNORRING, Hög-Gunstige Herrar och Gynnare.

Hi jag, at hvilken ödet ej ännu unnat fört mehra förmöhn, än
at knapt vidare, än til namnet vara mine Högt. Förnäme Gyn-
narer förut bekant, vägat mig med matta och swaga färgor
af en oöswad hand, detta mitt ringa afbildrada arbete, uti djup-
sie ödmjukhet Eder uppsra, och af Edra västra Mann hår til glansh lona,
tyckes vara längt större djeishet, än min sierplende tunga och darrau-
de fieder kan enskilla. Doch i förtröstan på den höga ynnest,
Hvarmed I, Wålborne Herrar Majorer, altid omfattat dem, som i syn-
nerhet med största färtigdom fört idka wetenskaper, gjör jag nu det
sälra hopp, at detta omogna wärk och min dristighet, som vägat. At hö-
ga steg, ej med ognisi upptages. Och dristar jog mig åsven så mycket meh-
ra dese blad, Eder Wålborne Herr Major KNORRING tilägna, som jag
förut kan hugna mig af det Höga Gunst, som min värdelösa Mor osde-
tient wederfarit, då hon af Eder, Wålborne Herre, såsom en huswil och
af andra dsvergitswen, med all hög ynnest och hjelp understödd blifvit.
Uptagen dersöre med så hög Gunst detta snille prof, som jag det i största
välmening i liuset framgäroit. Jeg skal frägit hos den milde Gudert
anhålla, han tåckes i mer än längliga tider uppchalla Wålborne Herrar
Majorer, mine Högt. Förnäme Gynnare, i all helse önsklig fälhet, til Ed-
ra Högt. Förnäma Familjers hugnad, landek synnerliga förmöhn, samt
til deras hjelp, som oafslateligen wörda mine Hög-gunstige Gynnares
Högt. Förnäma Mann; ibland dese sidstnämndes antal utbeder mig
ödmjukast at vara innesluten, såsom den hvilken til sin graf oafslateli-
gen fram härdar.

Wålborne Herrar Majorers,

Ödmjukaste tjenare,
ANDREAS COLLIN. Joh. Fil.

*Viro Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. MAG. CLAUDIO HEDMAN,*

Ecclesiarum Vasensium Antistiti longe meritissimo, adjacens
districtus Præposito gravissimo, nec non Scholæ ibidem
Trivialis Ephoro adcuratissimo, Patrono omni venerationis
cultu ad cineres usque colendo, suspiciendo.

*Viro Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. Mag. ARONI LIMATIO,*

Pastori & Præposito coetus Divini, qui in Padasjoki &
Cuhmois florent, longe meritissimo; ut antea Nutritio
liberalissimo, ita jam Fautori certissimo.

*Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo
Dn. LAURENTIO FORSELIO*

Pastori Ruovelsiensium Vigilantissimo, Evergetæ
exoptatissimo.

Viro Plurimum Reverendo & Praeclarissimo,

Dn. Mag. JOHANNI LAGO,

Pastori in Sotkamo meritissimo, Consangvineo amantissimo.

Spectatissimo Viro

Dn. JACOBO COLLIN,

Mercatori inter Aboënses folertissimo, Fratri carissimo,

Drum specialissimam suorum agere curam, proprio jam
meus indulgentissimus præmatura decepsit morte, de
Sed præter omnem nostram spem, excitavit idem Clementis-
qui meam adversam fortunam multis sublevastis modis &
in ære vestro totum esse agnosco, sed sincere simul fateor,
nere, recompensare posse. Suscipite ergo, Evergetæ beni-
que & tenuem meam fortunam in posterum vobis comenda-
strorumque perpetua prosperitate & vita diurna preces

NOMINUM

Viro Admodum Reverendo atque Praeclarissimo
Dn. MAG. ANDREÆ SALOVIO,
Pastori animarum, quæ Deo in Orivesi colliguntur, meritissimo,
Vicinique Contractus Præposito gravissimo,
Patrono Benignissimo.

Viro Spectatæ fidei & Probitatis,
Dn. CAROLO JOH. STILMAN,
Camerario per Ostrobotniam Laudatissimo, Benefactori multis nominibus colendo.

Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. ISRAELI REINIO,
Vicario Pastori, atque Sacellano in Laihela dexterrimo, Af-
fini dilectissimo, astutissimo

Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
Dn. Mag. ISRAËLI BJÖRK /
Correctori Schol. Triv. Vasensis Dignissimo, ut quondam In-
formatori fidelissimo, ita nunc Fautori optimo.

Spectatissimo Viro
Dn. ABRAHAMO COLLIN,
Mercatori & Senatori inter Ny-Carlebyenses Prudentissimo,
F:atri dilectissimo.

expertus sum exemplo; Ab eo enim tempore, quo Parerga
mea meorumque temporali felicitate actum esse videbatur,
simus Numen, Vos Benefactores & Consangvineos optimos,
in beneficiis mihi conferendis veluti certas. Memet ergo
me vestram benignitatem non alio quam levissimo hocce mu-
gnissimi, leve hocce exercitium, in signum gratissimi animi, me-
tam esse patiamini. Meum semper erit pro Vesta, Ve-
fundere ardentissimas. Sic optar.

VESTRORUM

Cultor observantissimus.
& Frater dilectissimus
ANDREAS COLLIN. Joh. Fil.


Encke Kyrckoherdskan /
Åhreborne och Dyngd. Ådla Fru /

MARGARETA COLLIN,
Göd RÖNBLAD,
Min Huldasta Moder /

 Å jag nu för almänheten vil å daga lägga min första
Academiska lärospän, och derjämte yttra genom dese
få och matta, men doch af hjertat härligtande ord, min
hjerteliga tacksamhet och innerliga fägnad öfver min hulda
Mors ömma omvårdnad för mig och min välfärd; sánchez
i sanning min esterstanka då i diupaste förundran, och en wörds-
nadsfull höpenhet blifwer mit tacksamaste hjertas renaste tålk.
En obeskrifvelig ömhet haſven Z, min Huldasta Mor, ensidigt altis-
från min spåda barndom (såsom en förjande Encka i ett huswilt
tilstånd, och flere andra förtryk) använt all möba för min och
mine brödres upfostran i ret och flickelighet, i affigt, at giö-
ra vår lefnad såll och vår fortkomst enigt afvundlycklig. Derhöre
är min barnsliga pligt desto större, och min brinande farlek ej mindre.
Tack, min Hulda Mor, för ofortruten omsorg för mit väl, från barn-
domen til denna dag. En innerlig Årkånsamhet skal aldrig pla-
nas ur mitt sinne, och min tacksamhet upphör ej at vara hjerte-
lig. Z miti hjerta saknas ej hroad en lydig Son under en så
huld Mor bör hyxa; fast än mine magra ord ej åga den
liflighet och styrka, at förklara mine irre rörelser. Jag uppskar
Eder, Min K. Moder, dessa af mig til almenheten lernade
tanckar, om Örta-Wetenstäpens öden i vårt K. Fädernesland; Up-
tagen dem ej såsom någon wedergåning, utan som et prof af
min diupa erkånsla, och som en liten frucht för all Eder för mig osparka
omkostnad. Almachten gjöre min Kåraſta Mors, nu genom sārg
och bekypper besvårliga] lefnad liuslig och lätt, och efter denna
uselheten innestnde Eder i sin Himmelka båning, Z som haſven innes-
slutit mig i Eder modersliga ömhet: detta önskar och beder den,
som til sin död med barnslig wördnad framhärdar.

Min Kåraſta Mors /

Hdmjuflodigste Son,
ANDREAS COLLIN.



I. N. 7.

PRÆFATIO.

SCIENTIAM vegetabilium omni laude dignissimam esse, neminem nisi, qui contra sanam rationem delirare velit, inficias hodie iturum existimaverim. Arguit enim ejus præstantiam ipsa antiquitas; quippe quæ non nostro demum seculo enata est, sed jam ab ipso mundi primordio sua repetit incunabula, (a) & postea continua serie cum ipso genere humano ad hæc usque tempora propagata, aucta, & in illud fastigium, quo hodie superbit, evecta est Porro, ipsam ejus jucunditatem perpendibus,

A

dentibus,

(a) Constat ex sacris pandectis DEUM Adamo hortum Eden variis arboribus floribusque abundantissimum parasse, eidemque lapso, terram in sudore vultus colendam monstrasse & præcepisse, ut herbis vesceretur Gen. III: v. 18. Quod vero huic divino mandato obedientes fuerint, & cognitione, saltim aliqua, botanices instructi Patriarchæ tam ante, quam post diluvium, omni caret dubio.

8) 2 (8

dentibus, haud mirum videbitur, si omnes in sui amorem alliciat, allectosque retineat. Quid quæso jucundius visui, quam in pratis, campis, sylvis, montibus, imo aquis infinitas plantarum species, harumque varietates intueri, attenteque earum admirabilem strukturam considerare. Hinc Poëtae dignis extollunt laudibus vernalē & æstivū tempus, gaudioque capti ejus amœnitatem canunt:

*Jam violam puerique legunt bilaresque puellæ,
Rustica, quæm nullo, terra, serente gerit,
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis. (b)*

Quid olfactui svavius, quam odores, spiritus animales recreantes suis naribus attrahere. Hoc modo varii præcaveri possunt morbi, qui mortem facillime causari possent (c). Nam svaveolentia arcent acaros, pellunt contagia & exanthemata, masticata præservant a contagio (d). Ratio est, quia olfactus ad vitæ fedem animamque dicit, hinc citissime spirituofum remedium vires restaurat. Auget præterea dignitatem Botanices maximi in vitam humanam redundantes usus. Inservit enim eximie ipsis Sacerdotibus in demonstrandis existentia & attributis divinis, explicandis variis

Scripturæ

(b) Evolvas Ovidii tristium Lib. III. elegiam XII. Virgilii Georgicorum Lib. II. aliosque passim.

(c) Conf. Boerhave de olfactu.

(d) Vide Hasselquistum de viribus plantarum in tom. li. Lin. Amoen. Acad. p. 426.

Scripturæ Sacræ locis, multisque piis meditationibus in animis auditorum excitandis (e). Quid Medicos loqvar, hi namque ex cognitione plantarum summam percipiunt utilitatem. Non ignoro remedia etiam ex animalibus & regno lapideo desumi posse, sed simul contendo, hæc paucissima esse, nec corpori curando adeo apta, atque illa, quæ ex plantis hauriuntur (f). Neque Juris-Consultus, si rite suo fungi velit munere, hac scientia penitus carere potest. Non opus est multo argumentorum apparatu hoc firmare; satis erit verbo dixisse, ejus ignorantiam dedecus ipsi, & civibus sæpiissime magna accelerare incommoda (g). Ad hæc, illos, qui castra sequuntur, minime pœnitabit, si quandam ætatis suæ partem floræ sacratam ve- lint. Incidunt sæpiissime tempora, quibus milites vel obsidione clauduntur, omniisque commeatu pri vantur, vel in fugam conversi ferarum more inter arbores frutices & gramina aberrantes fame ne-

A 2

cessatio

(e) Sic ipse Servator dulcissimus jubet nos considerare lilia agri. Math. VI: v. 28.

(f) Conf. Procœnum Horti Upsaliensis.

(g) Memorabile est exemplum in calendario Celeber. Celsis anni 1744. ubi verba sic leg. I Engeland hände, at en Trågårdsmästare hade makalös god kähli, så at åtskillige betingade sig af honom samma slags kähli frö; Trågårdsmästaren utsatte åtskilliga kähilstäckor til frö på samma säng med den gemena kählen: All kählen blommade på en gång; stoftet fördes af wädret ifrån den ena kählen til den andra; fröet blef moet och fälldes dyrt. Men de, som köpte fröet, singo deraf gemen bla kähli. Trågårdsmästaren blef skämd,

cessario moriuntur, si rationem vegetabilibus se sustentandi nesciant (*b*) Et Oeconomum quod adtinet, tot tantosque ex hac scientia habet usus, quot quantosque vix fatis enumerare integer dies sufficeret. Breviter unum alterumque indigitare lubet: vegetabilia indolem terræ Oecono mo demonstrant, qua cognita semina huic vel illi humo aptissima eligere novit. Præsagiunt quoque flores futuras tempestates (*i*, imo instar calendarii & horologii sunt, quibus ruri degentes uti possunt (*k*). Sed præter hæc, potest etiam Oeconomus ex Botanica cognoscere plantas, quibus, annonæ caritate ingrante, vesici queat (*l*); quænam sibi ipsi pecoribus-
que

fast ån han på ed ved samvete betygade, det han selv samlat frøet med egen hand af samma slags fühl; måtte doch plichta som en bedragare. Håraf ser man, at en Jurist och Domare bør nægt mer ån Lagboken; ty hade han fört stadt denna delen af naturkunnigheten, så hade aldrig denne stackars Trågårdsmästaren blifvit så oskyldigt dömd.

(*b*) Gummi ex Ceraso profuens, eadem qua gummi arabicum pollet virtute, de qua D. D. Hasselquistius ex Ægypto refert plus centum homines obsidione cinctos, per duos ferre menses vitam absque alio cibo sustentasse cons. diss. de plantis escul. patr. p. 27.

(*i*) Sic calendula pluviam mane præsigit, quod Draiba & Trifolium quoque faciunt. Sonchus Sibericus si noctu claudatur, sequens dies serena, si vero aperto flore per noctem manet, proxima dies pluviosa esit, & sic porro.

(*k*) Cons. diss. de calendario floræ Upf. hab. & Linnaei Philoso. Bot. p. 272. seqq.

(*l*) Consule diss. de plantis esculentis.

que sint noxia; quibus prata optime seri debeant & innumera alia (m). Vix minorem usum Entomologicis & Mineralogicis præstat, illis quidem dum ostendit quænam in quibuscunque plantis habitent insecta, unde varia in emolumentum suum lucentur, his vero quia mineris aliis atque aliis inveniendis inserviunt flores (n). Hos autem multosque alios usus jam pluribus explicare nunc mihi non vacat, quare gratissimum hunc laborem aliis relinquo, & proprius memet ad materiam propositam confero, levi penicillo Fata Botanices in Finlandia, patria mea dulcissima, adumbraturus. In antecessum vero Temet, Candide Lector, enixe rogatum habeo, velis innoxios meos conatus æqui bonique consulere, eosque mitiori perstringere censura, & quidquid heic deficit, benevole supplerem.

§. I.

Fata Botanices in Finlandia expositurus, minime id jam ago, ut per singula secula eundo exponere velim, quæ ejus fuerit facies ad nostram usque ætatem: nam præterquam quod sic in immensum cresceret opus, etiam huic labori perferendo me prorsus imparem esse lubens fateor. Proinde to-

A 3

tam

(m) Conf. diss. Om finländs ångstivhels hinder och hjelp p. 18. 19.

(n) Vide dissert. sub. præ. Präf. hogra känneträcken til nytta Mineraliers upfinnande.

tam opellam in duas epochas redigere placet; quarum prior tempora antiquiora, posterior autem recentiora considerabit. Quod itaque majores nostros sub gentilismo degentes adtinet, dolemus paucissima & vix ulla hodie prostare antiquitatis documenta, quæ, quales fuerunt majorum nostrorum in variis scientiis progressus, demonstrant. Per crebras enim hostium invasiones, bella intestina, invidiam & cœcum zelum Papistarum, aliosque casus, quæ majores nostri literis mandarunt, nobis erepta sunt: hinc fere omnia, quæ lucem huic rei adfundent, ex iis, quæ passim in scriptis proxime adjacentium gentium casu quasi adferuntur, petenda sunt. Extra omnem tamen dubitationis aleam, positum esse existimaverim, majores nostros aliqualem omnino-Botanices cognitionem habuisse. Etenim si solum communem prisci ævi vivendi usum paulisper respicere velimus, haud difficulter reperiemus mortales tunc temporis non modo ex animali, verum etiam vegetabili regno, vitæ necessaria sibi acquisivisse. Et quod aborigines nostræ gentis concernit, consentit in illam mecum sententiam Stiernhœkius, statuendo Hyperboreos cortice abietino & quercino, cum non suppeterent alii panes, victitasse (a). Porro, ipsa etiam necessitas eos ad hanc scientiam pro istius seculi conditione excolendam impulit. Nam cum ea obsoniorum genera, quæ pescatura & ve-

natio

(a) In lib. de vetusto jure Sveonum Lib. III. Cap. 7. p. m. 292. & dissertatio Aboæ de aboriginum Scandianorum præcipuis vitæ sustinendæ modis p. 47.

natio præbebant, non semper, quoties opus erat, continuo ad manus essent, nec indigentiae sublevandæ sufficerent, multa in cibum, potum & medicinam ex herbis vel sponte nascentibus vel ipsumrum opera consitis depromere necesse habebant. Huc quoque accedit longævitas majorum, quippe, qui testibus non modo indigenis, verum etiam exteris, iisque antiquissimis (*b*) Mocrobii adpellantur. Et quamvis concederem simplicem vietus apparatum & salubritatem cæli ad hanc corporum firmitatem multum contulisse, jure tamen contendō eſum vegetabilium prædictæ longævitatis haud minimam fuisse cauſam. Evincit hoc ipsa experientia omnis temporis; sic novimus Gymnofophilas Brachmanes a Theophrasto & Plinio sapientes Indiæ nominatos, nihil nisi vegetabilia olim aut hodie comedere, gaudere tamen corpore robusto & longævos evadere. Hinc merito peritissimi Medici inter causas brevitatis vitæ humanae nostro ævo numerant nimium carnium eſum, cum majores parce admodum iis vescerentur & summopere baccas, poma, olera, aliosque fructus amarent. Ulterius, robur dictis addunt non vulnare, testimonia auctorum fide dignissimorum, qui mentionem faciunt variarum plantarum, ut pote Edda, Adamus Bremensis (*c*), Scheffer (*d*), Rudbeckius (*e*) Wil-

de

(*b*) Consule Rudbeckium in opere atlantico Tom. I. Cap. IV. n: 10. p. 85.

(*c*) De situ Daniæ p. 159. (*d*, Lapp. Cap. 27. p. m. 317.

(*e*) in præfat. atlantica. Tom. 2.

de (f) & Trozelius (g) aliique auctores veteres, quorum scripta in lucem protulit Celeb. Dn. assessor Biørner in suo opere *kämpedater* dicto, qui omnes demonstrant Hyperboreos nostros ex arboribus & herbis optimum cibum & potum præparasse; Imo in conviviis & nuptiis suis cerevisia inebriante, mulso & vino bono passim fructibusque varii generis vel in hortis crescentibus vel in silvis natis usos fuisse. Si denique Medicinam Patrum nostrorum cogitemus, oppido patebit ea, quæ supra dicta sunt firmo stare talo. Habebat namque gens bello deditissima Medicos & Chirurgos suos, quorum operam in vulneribus pro Patria acceptis curandis mortisque periculis pellendis quærebant, & sanitatem recuperabant amissam. Et licet fateamur ex animalibus interdum remedia desumpta fuisse, plurima tamen medicamenta plantas subministrasse negabit nemo.

§. II.

Introducta Religione Christiana in Patriam, simul cum eadem artes etjam liberales, licet non pri-mum propagatae, magna tamen acceperunt incremen-ta. Et quemadmodum eo tempore omnis tam Theo-logia

(f) Præp. Hodegetica p. 202. (g) Leg. ejus annota-tiones, om Sviogothernas fördna hushålds wet, de quibus pag. 16 dicit, at de af örter och trän tagit sin Göta mat ic. & p. 15. af win och blåbär, prässade de åsven en läskande saft, om ej ett smakeligit win, hvarom kan läsas hos Skalderne.

30

Iogia, quam Philosophia, quæ vulgi captum transcendebat, in cerebris Monachorum suam invenisse sedem putabatur, ita quid de Botanica existimandum sit, cuivis facile est judicatu. Scilicet præter ea, quibus §. præc. evictum dedimus majorem herbarum notitiam theoreticam atque practicam per totam patriam diffusam fuisse, (a) tuto afferere licet, ipsos monachos eandem minime extirpasse, sed laudabili studio amplificasse, maioresque ad illam magis magisque suo exemplo excitasse; Constat enim, quod hortos in usus Medicinæ & Oeconomicæ circa Monasteria instructos habuerint Religiosi hi, in quibus plantas varias vel extraneas vel patrias plantaverant, quarum cognitionem studiosa juventus, pro istius seculi ratione, sibi comparare potuit. Præterea, si perpendamus multos sapientiæ amatores studiorum gratia ad exteris Academias jam tum temporis profectos fuisse, prono fluit alveo, eos optimam habuisse occasionem in re herbaria profectus faciendi, & reduces domum eosdem cum conterraneis communicandi.

B

§. III.

(a) Cognitionem plantarum Medicam & Oeconomicam prisci istius ævi adhuc penes vulgum residuam habemus, quam magni Literarum Patroni collectu dignam existimarunt, idque ad monitum *Baconis de Verulamii*, qui in libro de *augment Scientiar.* contendit, colligendas esse particulares experientias &c. Soepe namque plebs longo usu ea didicit, quæ peritissimum fugiunt virum. Lege Linnæana & Kamiana aliaque egregie per patriam instituta itinera.

§. III.

AD posteriorem epocham nunc progredimur, quæ cum Academia nostra Auraica ortum suum accipit. Nam hæc sibi gratulari potest, quod ab ipsis ejus incunabulis Botanica studioræ juventuti proposita, quodque horto Botanico gavisa sit; In primis etenim actis Consistorii Academicici mentio fit Horti Academicici, (a) unde lucide apparet, inde a primo fundationis tempore hunc hortum institutum fuisse; ex quibus etiam facile evincitur, Illustrissimum Comitem PETRUM BRAHE Regni Drotzetur, Academæque hujus primum Cancellerium, ut in omnibus aliis commodis Academizæ, ita etiam in hisce scientiis promovendis, maximum fuisse, cuius usu hortus hicce primum conditus est. Quod situm ejus adtinet, ex iisdem actis patet, illam partem fori sic nominati equini (svec. *Hästätget*) quæ ædibus Academizæ proxime adiacet, si non totum forum & ultra, horti hujus aream constituisse. Ab initio Physicam & Botanicam unus idemque Professor docebat, nam primus,

qui

(a) Verba ex actis An 1642. die 10. Maij. hæc sunt, Flagades at Oeconomus templi tagit et stycke ifrån Academizæ trågård vdy instångt. Resolv. at den lemnas åt en Professor, som den begårt arrendera. Pari modo annis 1649. die 11. Maij. 1651. die 18. Nov. 1653. die 14. Sep. 1669 die 5. Maij. ejus mentio occurrit; sed toto hoc tempore magis usui privato atque colinari, quam publico & commodo studioræ juventutis inferviisse, haud obscure apparet.

qui ad Academiam Aboënssem constituitur Physices Professor GEORGIUS ALANUS, Physices atque Botanices Professor a Sa Reg. Maj:te creator (*b*), & ex actis constist. Acad. elucet, illum tempore Lectionum publicarum, quovis die unam horam Physicis, alteram vero Botanicis prælectionibus in usum studiosæ juventutis consecrassæ (*c*). Nonnulli etiam sequentium Physices Professorum Botanicam simul tradebant; vocatur enim ABRAHAMUS THAUVONIUS in rubro dissertationis *de stellis*, sub ejus præsidio habitæ, Physices & Botanices Professor Publicus. Qualis vero Botanices facies ad hanc nostram Academiam deinde per aliquot annos fuit, non ita notum est; si tamen quid ex picturis Professorum Aboënsium seculi proxime præterlapsi, in Bibliotheca nostra asservatis, manu scilicet flores tenentium, conjectare liceret, habuit per omne illud tempus Flora heic suos cultores atque promotores. Fortassis hæc sparta Medicis tum demandata fuit. Primum tamen opus Botanicum, quod Aboæ prodidit, quantum novimus, est *Jacobi Heinr. Flachsenii* primum Log: & Metaphys. tandem S. Theolog. Prof. & Doctoris in Acad. Aboënsi dissertatio grad: *de regno vegetatili in genere*, Præside *Gyllenstolpe* Anno 1656 (*d*). Anno 1670 ELIAS TILLANDS Medicinæ Professioni præponitur, in qua ornanda totus est. Inter alia rei Botanicæ au-

B 2

xilia-

(*b*) Confer nobiliss. Stiernman Aboa. Litt. p. 6 & 60.

(*c*) Acta constist: Acad. Ab. die 25. Sept. 1644.

(*d*) Conf. Stiernman Aboa Litter p. 54.

xiliatrices manus præbet. Hinc magna cum corona juventutis Academicæ non modo hortos urbis, sed etiam campos, prata, sylvas, locaque urbi adjacentia herbarum gratia visitat. Prodiit igitur anno 1673 in 8:o *Catalogus plantarum tam in excultis, quam incultis locis prope Aboam superiori efflate nasci observatarum, in gratiam Philo-Botanicorum concinnatus*; quem Catalogum A:o 1683. longe auctiorem edidit, additis usitatoribus Svecicis & Fennicis nominibus, cum brevi virtutum recensione. Eodem Anno in lucem publicam emisit *Plantarum icones novas in usum selectas, & Catalogo plantarum promiscue appensas*. Primus hic fuit, qui herbam tintoriam *Isatidem* intra Patriam sponte nascentem observavit. Fuere autem multi, qui *Tillandsium nostrum* hac in re hallucinatum fuisse credidere, usque dum Consil. Summi Reg. dicast. quæ Aboæ floret, Illustr. Lib. Baro STENO CAROL. BIELKE eandem herbam iisdem in locis, quibus *Tillands*, copiose crescentem legit, quam Nobilissimus D. D. Archiat. & Eques LINNÆUS in Gotlandia sponte habitantem deinde etiam observavit. Ut eo major oportunitas studiosæ juventuti daretur plantas cognoscendi, de horto prædicto Academicò instituto endo maxime sollicitus fuit noster *Tillansius*, qui maximis illo tempore in Septentione florentibus Botanicis Medicisque summo jure adnumerandus est. (e).

§. IV. Mor-

(e) A. & C. Acad. d. 14 Nov. D. Tillands sic lof, at med plantwärk inhågna heta Academie trågårds-kointen ånda til probam, at der nedstätt rötter tienliga til Medicis. 1691

§. IV.

Mortuo Tillandsio, quod initio anni 1693 accedit, curam Botanicæ utcunque egere Medicinæ & Physices Professores. Præside Professorre Physices HAHN A:o 1695, in lucem publicam edita est dissert. *Lönnwallii de Platano* (a) atque 1698. *Hasselquistii de dendrologia* (b). Cum autem sepimenta Horti Academicici vetustate penitus dejecta erant, nec locus is, utpote paludosus atque arctis circumscriptus limitibus, satis aptus videretur, Celeb. Doct. HIELM Med. Prof. ejus rei summam habuit curam, ut alias fundus commodior eligeretur, & emeretur (c). Verum ejus laudabile

B 3

pro

d. 5 Maji Professor Medicinae D. Tillands inlade en specification på Academiæ trågårds planckets Reparation belöpande 16 dä. 10 öre, hvilka af fisco publico betalas.

(a) Scienzman Aboa Litt. p. 138.

(b) Id. Aboa Lit. p. 143.

(c) Act. Consist. Acad. 1706 die 11. Apr. Herr Doct. Hielm anhöllt uti en sin insagde skrift, at Consistorium wille vara omränt, på hvidad sätt denna Academien, så väl som andra, kunde med hocco Botanico förses, både för det gagn, som den studerande ungdomen hade deraf att wánta, såsom och för Kongl. Maj:ts uti Medicinal förordningen 11. §. befalt Kongl. Collegium Medicum iwhar på sin ort detta låta sig vara angetägit; men såsom här til fordras en god och väl belägen tomt, til hvilkens tillhandlande man uti dessa svåra frigstider ej fördristar sig, at anlita höga Öfverheten om några medel, varandes ej heller ejest något förslag, at der til så mycket upbringa, så kunde för denna gång ej der til något tilgöras. 1708. die 29 Apr. Recr. Magnif. (D. Hielm) lät

propositum ob intervenientes funestissimi belli calamitates omni carebat successu. Recuperata A:o 1721. dulcissima pace reducibusque ad Almam Auriacam Academiam Musis, etiam Botanica suos cultores iterum naæta est. Arridet tamen primum præcipue Æsculapii filii. Prodiit igitur A:o 1724 Præside P. ELVING Med. Doct. & Prof. Laurent. Brodin Dissert. de *Trifolio Aquatico*, in qua varia erudita atque lectu digna inveniuntur, licet, quod ad usum Oeconomicum, Trifolium hoc Aquaticum seu Menyanthem cum Calla confundat, uti a maximo ævi nostri Botanico D. D. Archiat. & Equite LINNÆO in Flor. Lapp. §. 80. observatum est.

§. V.

Sed jam appropinquant tempora, quibus longe clariori luce Scientia Botanica per totam prope Finlandiam splendet.. Hactenus ejus adyta vix aliis quam Medicinæ alumni patuere, jam vero omnibus aperiuntur. Antea Botanica vix aliter quam empirice tradebatur; jam singula systematice solidissimo fundamento superstruuntur. Illustrante enim orbem eruditum Summo, quem unquam videre secula, Botanico, Nobilissimum loquor D. D. Archiatrum & Equitem de stella boreali, CAROLUM

upplåsa sit förslag om horti Botanici anställande, det han til hans Exelence Cantzeleren skrifvit, begärandes anten Slätts Trågården under Academien, eller och med Bibliotheks medlen uppköpa någon annan plas, der til sedan en Trågårgårds Mästare skulle beställas, som kunde löna sig sjelf.

LUM LINNÆUM, etiam Fenniæ nostræ hinc nō-vum lumen oritur: duos habuit hic Upsaliæ juve-nilibus in annis assiduos comites, sibique amicissi-mos, quorum uterque summo ardore totam Hi-storiam naturalem per Finlandiam nostram propa-gavit, uterque etiam ad summam in Ecclesia-sticis ad Academiam Aboënsim evectus est dignitatem. A:o 1736 intervallo vernali CA-ROLUS FRED. MENNANDER Philosophiæ tum Magister, deinde Physices, post Theologiæ Pro-fessor atque Doctor, jam vero Diœcœseos Aboënsis Episcopus Eminentissimus, & Academiæ Ibidem Pro-Cancellarius Magnificentissimus, Botanicam sy-stematice discipulis selectis tradidit; superiorum ve-ro mox jussu aliis curis ipsi impositis, jueundissima hæc otia relinquere cogit. Alter assiduus Linnæi nostri in juvenili ætate comes atque Amicus D. JOHANNES BROWALLIUS Anno 1737. Physices Professor ad Academiam Auraicam a Sa-era Regia Majestate constituitur. Celeberrimus hic Vir, qui ad Physicam & totam historiam natura-lem excolendam, ornandam atque promovendam natus factusque erat, omni etiam nisi studioque in eo defudavit, ut solidior Botanices cognitio studiis sacratæ juventuti instillaretur. Intervallo igitur vernali anni 1739 collegia sua Botanica a-perit, quæ deinde eruditissimo ore Auditoribus suis fidelissime proponit; illum arva, prata sylva-que perlustrasse, sudoreque madentem discipulis suis plantas demonstrasse non raro observarunt.

Hujus

Hujus cura svasuque factum, quod lectio historiæ naturalis in omnes fere scholas Finlandiæ introducta sit; prodierunt enim ex ejus Schola plurimi viri eruditi, qui vel juvenes varia loca Patriæ planitarum gratia pervestigarunt, vel muneribus publicis admoti, hanc scientiam ipsis jucundissimam opere omni propagarunt, quorum secundum temporis seriem nonnulli nominandi: Mag. *David Starck* antea Lector Gymnas. Borg. jam Pastor & Præpos. Lovisæ. Mag *Laur. Stenbäck*, Correct. Schol. Cathedr. Ab. anno 1742. pie defunctus. Mag. *Job. Åimelæus* Past. in Storkyro Ostrobotn. *Petrus Kalm*, Oecon. Prof. Aboëns. Mag. *Israël Biörk* Corrector Schol. Vasens. Mag. *Ericus Lemquist* Pastor arcis Aboëns. *Barth. Rud. Hast*, Med. Doct. & Medicus Provins. Ostrob. Mag. *Pet. Bonsdorf* Lect. Theol. Gymnas. Borg. Mag. *And. Hell* Mag. Docens, at-Collect. Schol. Cathed. Aboëns. jam placide extinctus. Mag. *Job. Borgström* Lect. Mathef. in Gymnas. Borg. Mag. *Sal. Hannelius* Past. in Ilmola; Mag. *Pet. And. Gadd* Oeconomiae Director atque Chemiae Prof. Extraord. Aboëns. Mag. *Fred. Brander* Corrector Scholæ Biörneborg. Aliisque plurimi. Eodem anno 1739 Aboæ edidit vir hic eruditissimus examen epicriseos Siegesbeckii, in quo nobiliss. Linnæum contra insultus Siegesbeckianos fortissime defendit, adversariumque hunc omnibus armis spoliat. Quas aut ipse observat, aut in herbariis discipulorum in Finlandia lectas plantas invenit, studiose colligit, floræque suæ Finnicæ, ad huc in mss.

manusc. latenti, inserit. Ob merita sua maxima in Ecclesiam, in Regem, in Patriam, inque Literas Anno 1749. Episcopus Dioceſeos Aboëns. atque Pro-Cancellarius Academiæ Auraicæ factus Historiæ naturalis, suarum deliciarum, singularem curam agit. Eo auctore, interceſſione autem Academiæ nostræ Numinis tutelaris Illustriss. Comitis Regis Regnique Senatoris, C. G. TESSIN maxima pars veteris fundiſc dicti Episcopalis a Sacra Regia Majestate in Hortum Botanicum donatur, ea tamen clausula, ut idem fundus tamdiu ſedi Episcopali adnexus eſſet, quoad novis ædibus Episcopalibus exſtruendis ultimus labor additus eſt. Ob hæc tamen & varia alia obſtacula nostro Brovallio vivente, Academia voti ſui hac in re potens non facta eſt. Ejus etiam ope Academiæ nostræ culturæ variarum herbarum Fabricis utilium ſummam M. Thaler. argent. quotannis ad aliquod tempus donandam eſſe de flore Patriæ maxime ſoliciti Ordines Regni juſſerunt; quam pecuniam, intercedente Magno Brovallii noſtri in munere Successore, ulterius prorogandam eſſe liberaliſſime decreverunt iidem sapientiſſimi Ordines Regni.

§. VI.

Isdem fere temporibus, quibus laboriosiſſimus noſter Brovallius, annis. ſcil. 1739 & proxime ſequentibus, Cubicularius Reg. atque Adſeffor summi Reg. Aboëns. Dicaſterii, poſtea vero ejusdem Conſiliarius ac tandem Præfes vicarius, illuſtrissimus Dominus Baro STENO CAROLUS BIELKE, ut in aliis ſcientiis utilioribus, ita etiam in Botanicis verfatissimus ejusque longe amantissimus, & ipſe in ſuis itineribus per Finlandiam plantas ejus studioſe

C

in-

indagat, & ut alii etiam idem faciant, nulli operæ, nullisque sumtibus parcit: in historia atque cognitio-
ne graminum, sine quibus omnis vera cultura prato-
rum frustra tentatur, superiorē habuit neminem:
dolemus Fata observationes ejus eruditissimas & mul-
to cum sudore sumtuque collectas, grama quod at-
tinet, ob præmaturam ejus mortem orbi erudito in-
vidisse.

Anno 1748 professionem Medicinæ adgredi-
tur D. D. JOHANNES LECHE: consummatissimus
hic Botanicus variis eruditissimis operibus clarus,
ac stupenda collectione plantarum instructus, Reve-
rendissimo D. D. Episcopo Brovallio in plantis
Fennicis investigandis inque flora ejusdem Regio-
nis consignanda socias manus præbet: plantas ra-
riores, in horto suo, sumtu proprio diligenter colit;
publice privatimque sedulam atque indefessam operam
juventuti Academicæ in Botanicis aliisque partibus hi-
storiæ naturalis commodat; atque quavis data occasio-
ne amorem jucundissimi hujus studii illi inculcat.

Celeb. D:nus Præfes ex America Anno 1751 re-
dux, culturæ plurium plantarum rariorū atque uti-
lium multum temporis tribuit, desideriisque juventutis
Academicæ in Botanicis discendis quantum potest, sa-
tisfacere studet.

§. VII.

QUÆ Horti Academicī institutionem obstacula mo-
rabantur, Anno 1757 remota esse gaudemus. Aca-
demiæ enim votis indefessa & paterna cura illustrissimi
ac maximi Lycei nostri Cancellarii Celsissimi Comitis
Regis Regnique Senatoris TESSIN annuere voluit SA-
CRA REGIA MAJESTAS, Episcopo Diæcœeos Aboëns-
sis ejusque Academiæ Pro-Cancellario tum constituto
Rev. D. Doct. C. F. MENNANDER, cui semper in de-
liciis

liciis fuit studia utiliora promovendi. Magnus hic Literarum & in primis Historiae Naturalis Mæcenas utilitatis suæ immemor vel potius contemtor suum commodum commodo publico atque juventutis Patriæ, literis operam dantis atque daturæ, magno animo postponit. Hoc enim impulsore Academia votorum suorum compos facta. Situs est hic noster Hortus Academicus loco apto & scopo suo sat convenienti, adeo ut vix melior dari potuisset. Academiæ enim proxime adjacet; hinc studiosæ juventuti nullum tedium causari potest longa ad illum via. Stagnante aqua non infestatur, utpote loco editiori collocatus. Amnis subjacet, unde aqua anni siccitate sufficiens & satis bona haberi, & existente pluvia pertinaci inde facillime deduci potest. Colles & loca versus orientem sita sufficientem aquariis pollicentur humoris copiam. Domus sic dicta Vilbrandtiana, ab Academia in usum Præfecti horti emta, adeo apte huie rei inservit, ut ex ea in Hortum universum oculorum prospectus excurrere queat, quo constet, quam probè pensum suum laboremque observant operarii, & ne vim rapinamque exerceant malignæ manus. Ad ventorum frigidorum vim arcessendam & impedirendam arbores variæ semper virentes & aliæ frondiferæ, huic rei perutiles, a boreali parte plantari possunt, quæ simul ornamentum horto addunt.

Die 15. Nov. ejusdem anni suasu atque auctoritate Generosissimi Gubernatoris Provinciæ Aboëns. JE REMIÆ WALLEN Magistratus atque Seniores urbis Aboëns. quam partem augustissimus Rex ex veteri fundo sic dicto Episcopali urbi assignavit, Academiæ in Hortum Botanicum usumque atque
emo-

emolumen tum juventutis Patriæ, Musis litantis, liberali manu largiebantur. Horti hujus Præfecturam eodem anno in se devolvi passus est Celeb. D. Præses variasque anno præsenti plantas rariores in hortum hunc delatas esse vidimus; Hortum vero nostrum faciem atque formam debitam veri Horti Botanici tanto citius obtenturum speramus, quanto certius est ejus diligentiorem culturam laudem, frigidiores vero dedecus Præfecto ipsius conciliaturam esse.

§. VIII.

Hæc sunt paucissima illa, quæ de Fatis Botanicæ in Finlandia ejusque ibidem flore moderno in medium proferre volui. Cogitaveram equidem hæc pluribus exponere, verum cum inopinatum & festinans meum, quod in Sveciam nunc paro, iter filum heic abrumpere cogat, quæ breviter dicta sunt, placidæ tuæ, Candide Lector, subjicio censuræ. Interim sufficiat verbo dixisse, vix regionem dari, in qua studiosam juventutem, tanta pollere plantarum indigenarum cognitione, tantoque scientiæ Botanicæ rapí amore ac in Finlandia nostra fit, observabis. Fauxit Deus, ut hæc scientia in alma pace una cum aliis studiis Theologicis & Philosophicis heic semper virescat, majoraque in dies capiat incrementa, quo in Patria nostra habeamus, quæ ad necessitatem & commoditatem spectant. Sic materies nobis dabitur amplissima summi Numinis opera mirabilia cognoscendi, eique devotissimas gratias agendi, cui sit Laus & Gloria sempiterna.

